



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. Quid dominium & quæ ejus divisio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

EXPLICATUR 3. jus de quo hic, ex Esparza. q. 3. quod sit libera facultas disponendi de re aliqua, in utilitatem propriam, non impedibilis licet ab aliis. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Videtur hanc facultatem disponendi esse posteriori ipso jure, ex illoque fluere. Sicut ex ipso habere, fuit disponere. Tum quia. Ly non esse impedibilem licet illam facultatem, vel supponit pro Ly non impedibilem sine injuria, & restabit querere, quid sit fieri injuriam, vel contra jus? Si autem supponit pro Ly non impedibilem sine peccato, nihil erit, quo constituatur illa definitio per prædicata justitiam, justitiamque importet. Tum quia. cum illam peccatum non importet. Tum quia. Non repugnat habere potestatem in utilitatem propriam in impedibilem licet, non tamen justitiam: & sicut posita definitione hominis; quod sit animal implume, bipes, recte argueretur non repugnat esse hominem plumatum, & unipedem, ita & in presenti, per Ly non repugnat, adlatum, bene illa definitio impugnabitur. Tum quia. Non debet esse eadem definitio juris & domini: habet se enim jus ad illud, vel tanquam genus ad speciem, vel tanquam radix ad passionem. Jam autem dominium prædicta definitione ordinariæ definitur. Tum quia. Est aliquid jus ad rem, & tamen habens jus ad rem, non habet liberam potestatem disponendi ut voluerit. Ergo apparet non bene definiti prædicto modo, jus in communi.

QUESTIO II.

De jure in quantum importat Dominium.

Genus hic de dominio, sive illud concipiatur per modum juris perfecti, sive per modum passionis, ut ita, juri, quod est quædam forma, respondeat sua passio. Quidquid sit de hoc, sit

DIFFICULTAS I.

Quid Dominium, & quæ ejus divisio?

Dominium, ut sic, prout est quid communis ad dominium proprietatis & jurisdictionis, definitur posset, quod sit jus disponendi. Dividitur in jus proprietatis & jurisdictionis. Jus proprietatis, est jus disponendi in utilitatem propriam. Addi solet communiter, absque injuria alterius. Jus autem jurisdictionis est potestas disponendi titulo superioratus, idque in bonum alienum, & huc revocantur jurisdictiones, earumque species variae.

Quod attinet ad dominium proprietatis, illud dividitur in dominium communitatis, & particularium. Dominium communitatis duplex est: quoddam, ut bono, in quo est dominium, singulae partes communitatis, quæ tales, uti possint, v.g. filius, vocaturque dominium locorum, jus universitatis &c. interdum autem do-

minio illo, non utitur communitas, nisi quæ communitas est, sive ad sumptus communes. Dominium autem particulare, erit dominium singularis alicujus personæ. Rursus hoc ipsum particulare, dividi potest in dominium excludens participem ad eam rem, vocaturque dominium plenum, non plenum autem, si non excludat.

Denique potest dividi dominium proprietatis in dominium perfectum, quod ad proprietatem rei, simul cum fructibus, extendi solet, definitivèque est, jus perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur. Non additur de re corporali, ut ponunt Legistæ, ut extendatur ad omnia bona justitiam, qualia sunt fama, honor, &c. Additur *nisi lege prohibeatur*: quia certas aliquas dispositiones faciendas ex jure Ballo seu jure privato, potest restringere Magistratus, titulo juris alti, sive convenientis altiori potestati, supra bona privatorum, quantumvis hæc restrictio, non sit defectus domini. Imperfectum autem dominium est adhuc duplex, in substantiam, & non in fructus, vocaturque imperfectum, directum; personaque illo jure gaudens, vocatur Dominus proprietatis. Si autem non habeat proprietatem ullam, sed solum usum fructuum; vocatur dominium usus fructus, multique cum Soto & Val. dicunt hoc esse improprie dominium. Videatur Tan. d. 4. n. 12.

Hic ipse usus fructus adhuc duplex est. Interdum enim est cum jure, ut vocant, utendi, usum juris sumendo sine ullo dominio, definiturque talis usus, jus utendi re aliena, salva ejus substantia; vocaturque usus formalis, usus fructus &c. Si autem non sit cum tali jure; sed non nisi de die in diem competat, appellatur usus nudus; possessorque talis vocatur usufructarius. Prior autem usufructuarius, hique, inter alia distinguuntur: quia usufructuarius non potest alteri ejusdem rei usum communicare, potest usu fructuarius. Lugo d. 2. n. 39. ponit, quod usufructuarius sit dominus fructuum, secus merè usufructuarius. Usufructuarius quamvis potatur usu absolute revocabili, non tamen revocabili ad placitum; secus usufructuarius, ut innuit cum aliis Tanner citatus q. 1. n. 22.

Inter species domini, est etiam servitus non passive accepta: sic enim est subiectio dominio, adeoque carentia domini, sed in quantum facit aliquid alienum, sibi servire. Reliquæ divisiones videantur apud alios.

Quia autem ad dominium etiam possessio spectat, illa definitivè est externa detentio rei ex animo, juris adminiculo concurrente. Sicque formata definitio etiam Theologis serviet. Divisio possessionis, & modi illam acquirendi, ab aliis decurruntur. Diceretur aliquid à nobis in materia practica.

Si quæras. Undenam emanavit divisio dominiorum? Responsio communis est, emanasse eam

R. P.
THE MLOD
JANOWSKI
Tom 3. c. 4.
D. VI
6

se eam ex dispositione juris gentium. Tum quia. Ita habetur capite, jus gentium, dist. 1. & L. ex hoc jure ff. de jure & iustitia. Tum quia. Universalis locutio Scripturæ: *Dominamini piscibus maris & volatilibus cæli*, irrefractum dominium singulis competere notat. Ergo, per aliquid aliud, restringi debuit: & hoc quid aliud, quam jus gentium? Tum quia. Cum non esset Ratio sub initium mundi, quare hoc potius hujus, quam illius fuerit, debuit hæc ratio jure gentium formari, occurrendo negligentis & malitiis humanis: censeturq; hæc divisio facta ab Adamo, tanquam capite, & à Noë post diluvium; quamvis autem, ei quod est de jure naturali præceptivo, non possit contravenire jus gentium, utpote subditum illi priori: si tamen jus naturale, sit non nisi permissum, & quasi suspensum, quoadusque oppositum ex pacto non fiat, oppositum bene potest jure gentium introduci: ad eum modum, quo nuditas homini est naturalis non præceptivè, sed permissivè, quoadusq; non fuerit rebellio sensitivæ partis contra rationem: quia autem hæc divisio bonorum rationabiliter est facta, hinc in casu extremæ necessitatis redduntur adhuc bona communia omnia, quantum requiritur ad necessitatem.

Revocari huc debet Præscriptio & usucapio. Nomine Præscriptionis (apud Laym) venit exceptio, seu oppositio, adversus actionem Actoris, non inficiando ejus fundamentum, sed aliquid opponendo, ob quod sine vel efficacitate sua privetur. Usu autem capio, ex Modestino, est acquisitio domini, per continuationem temporis lege definiti: plura, sed non speculative noscenda, lege apud alios. Materiam de dominio examinando. *Erit.*

DIFFICULTAS II.

An dominium ejusdem rei, possit esse penes duos in instanti donationis?

Petrus est donans. Paulus donatarius, quaeritur: An in instanti donationis uterque habeat dominium?

PRÆMITTO I. *Actum donationis, tam ab Angelis, quam ab hominibus posse fieri internè uno instanti, & eodem acceptari:* & quidem de Angelis non est tanta difficultas: nam cum sint puri spiritus, & ad manifestationes mentis sensibilibus & divisibilibus signis non indigentes, poterit uno eodemque instanti hic donare, ille acceptare: quia nulla est in hoc repugnantia. Sufficient enim, ut pro priori naturæ, acceptet, intra idem instans temporis. Vel si in hoc habeas difficultatem, pone suppositionem impossibilem, & institue quaestionem: An, si per impossibile uno eodemque instanti fieret donatio, & acceptatio, uterque tunc esset Dominus rei? De hominibus major est difficultas, an possint donare, acceptare, dum adstricti è sensibus agunt. Et

quidem, quod aliquo casu possit id fieri, saltem in donatione vel acceptance conditionata, dubium non est; quia posset dicere Petrus, dono illi rem hanc hoc instanti, casu quo ille habeat hunc actum; accepto si mihi hoc instanti res illa offertur, quid autem repugnat, ut habeatur hic actus ab alio? Deo, in modum bonæ fortunæ injiciente, ut habeatur hæc mens, multoq; magis id evenire potest in statu separationis, vel in patria, ubi modus noster agendi, habebit conditionem spiritualis modi agendi, vel si condito tempore pergant uterq; in actibus, hic donandi, ille acceptandi. Sed si donatio debet signo externo manifestari, indubiè naturaliter hoc fieri non poterit, quia instantaneis, sensibilia non mensurantur. Cæterum saltem miraculosè id fieri posset, Deo v. g. manifestante eodem instanti, donationem alius, & offerente concursum, ad acceptandum.

PRÆMITTO 2. *Supposito, quòd eodem instanti fiat donatio & acceptatio, in hoc erit difficultas: An eo casu uterq; sit Dominus in solidum, & perfectissimè?* in quo ipso non est difficultas in hoc, an pro eodem priori naturæ, & intelligibilitatis uterq; sit Dominus: quia per prius naturā antecedit donatio, utpotè causa moralis, & saltem prærequisitum ponendæ acceptance. Ergo non pro eodem priori est acceptatio: quia & per prius natura, antecederet donatio & non antecederet per prius naturā. Non antecederet quidem: quia pro eodem priori naturæ, jam esset acceptatio; antecederet autem: quia dicitur esse prius naturā, omne autem prius, antecessorem importat. Deinde, quando aliquis dicit: Dono, pro illo priori; quando dicit: dono, vel donat, quia est acceptatio legitima, vel donat, ut sit, si donat, ut sit. Ergo, pro priori eodem non est; si donat quia est tunc acceptatio legitima. Ergo etiam si non donaret pro illo priori donans, haberetur jam dominium rei à donatario: quia jam haberetur legitima acceptatio, quod est absurdum. Nec item in hoc est difficultas: An sequentibus instantibus uterq; sit Dominus? cum enim unius sit efficax intentio, ut ubi fuerit usus sua potestate in donando, impostetum nullam habeat in tem potestatem, quomodo jam sequentibus instantibus retineret dominium, nisi fortè poneret dominium inspoliabilem proprietatem.

PRÆMITTO 3. *Varias usurpationes terminorum, quibus utuntur Auctores in hac materia, quas simul ostendunt varietatem sententiarum circa præsens punctum.*

I. TERMINUS. Est dominium in solidum: & dominum perfectissimum: dicuntque primum convenire in instanti donationis utrique, non secundum; sic docet Arriaga i. p. d. 30. a. n. 5. Unde dominium solidum, dicunt esse dominium in rem, non dividendam, nomine autem, perfectissimi, intelligunt dominium, quod dicitur potestatem